

Arboribus parasiticus accrescit in subalpinis Austriae; quem ex Carinthia etiam reverendus Franciscus Xaverius Wulfen transmisit. Fungus sessilis & horizontalis, superne convexo-planus, ruber & aequalis; subtus planus, tenuissime nec profunde tubulosus, cocineusque; carne firma, coriacea, tenace, subrubella, aliquot lineas crassa. Antrorsum haud valde protenditur; latitudine variare a me visus ab unica ad quatuor uncias. Color in asservato diu jam perstitit. Tabula exhibet fungi faciem superiorem, tum inferiorem, dein superioris partem cum discissa substantia, ut crassities & fabrica interior appareant.

TABULA TRECENTESIMA QUINTA.

SCORZONERA PARVIFLORA.

Tota planta glabra est. Radix perennis, calami vel digitum minimum crassa, teres, interdum crure uno alterove aucta, lacte glutinoso subochroleuco & amiricante turgida, primum sordide pallens; per aetatem vero rugis circularibus notatur, tunc longior, multiceps, fusca, & ex ipsis capitibus fibras crassas telluri immittens. Caudices plures, saepe in orbem positi; inferne procumbunt, hinc adscendant, striati, virides & plus minus pedales. Folia radicalia angusta, acuta, subnervosa, crassula, integerrima, utrinque ex glauco virentia, oriuntur ex petiolo canaliculato. Caulina pauca & amplexantia ex alis promunt ramulos erectos & unifloros, aut eosdem paucifloros caulique similes. Calycis glauci nitidique squamæ ad apicem fuscescunt, & in fructu elongantur. Corolla flava, & ratione congenerum parva, raro expansa conspicitur. Calyx proprius sic ex sevis quinque, pappo longioribus, in flore erectis; in semine una cum pappo patentissimis. Et reliqua ad Linnæanum characterem sunt. Crescit in subpalustribus apricis. Floret Majo, Junio & Julio. Culta ne vel minimum mutatur, & aequè tunc a Scorzonera humili & hispanica differt quam sylvestris, ut veram distinctamque speciem constituat. Primum hujus plantæ notitiam debeo egregio nuper discipulo meo, clarissimo Sigisberto Schivereck, nunc Chemiæ & Botanices Professori Oenipontano, a quo plantarum Tyrolensium exactam cognitionem merito expectamus.

TABULA TRECENTESIMA SEXTA.

CYTISUS LABURNUM. *Lin. syst. p. 489. Scop. carn. 2. p. 68. Hall. hist. helv. num. 360.*

Laburnum arbor trifolia, Anagyridi similis. *Bauh. hist. 1. p. 361.*

Anagyris non fatida major alpina. *Bauh. pin. 391.*

Anagyris non fatens minor. *Bauh. pin. 391.*

Arbor ab octo ad quindecim pedes alta, ramosa, ligno duro, trunco brachium crasso. Folia oriuntur ex iisdem gemmis plura aggregata, ternata, longe petiolata; foliolis ellipticis, integerrimis, brevissime petiolatis, facie glabris & fissuratis virentibus, dorso & ad oras obscure pilosis, adultis tandem etiam hic fere glabris, obtusis cum exiguo mucrone. Racemi elegantes, semipedales & ultra, penduli, numerosis floribus pedunculatis onusti, ex eadem cum foliis gemma prodeunt. Pedunculus communis, proprius, & calyx villosuli sunt. Hic est brevis & bilabiatus, superne denticulos duos, inferne tres habens minores. Corollæ luteæ vexillum emarginatum reflectitur, & ad basin maculas punctaque fusca gerit. Alæ oblongæ & obtuse carinam superant. Stamina connata sunt. Antheræ oblongæ & erectæ. Legumen biunciale, oblongum, compressissimum, obtusum, longitudinaliter rugosulum, cinereum, ad tactum molle & veluti coriaceum, glabrum tamen, semina conti-

